Frid. Zamell

VITÆ REGULA.

ELBINGÆ
anno M. DC. XLVI typis BODENHAUSIANIS.

Ad Gotofredum fil.

TV qvi prima venis ægro Gotofrede parenti
Cura, ſit hæc vitæ prævia norma Tuæ.
Poſtq; meos obitus fraternas inſtrue mentes.
Dic: Eadem voluit Vos tenuiſſe pater.

Vitæ regula
Literarum Sapientiæq; Studioſis propoſita.

NUnquam infructuoſius collocavi tempus meum, qvàm in congreſſu malè feriatorum extra limen meum. Libris, eruditorum monumentis, pro muto domi aſſederim; id glorior, qvôd à doctoribus item mutis plus emolumenti acceperim. Iſti me uti à conſortio qvorundam, qvi verè mortui eſſent, ſub exigvâ cœli parte abſtraxêre; ita pluribus qvovis ſub cœlo dignè viventibus virtutis commercio conjunxêre. Si cui hæc ab animo ſocietas, hæc vera & ſolida amicitia diſplicet; ille frivolis, turbis, litibusq; adeo ſe implicet. Optimè tranſigunt, qui eo malorum nexu ſoluti ſunt; utq; eſſe poſſint, à profanorum grege liberi ſunt. Livor, ne calumniare: nec abſentes præſentibus, nec mortuos ſuperſtitibus prætulimus: in omnibus qvicumq; eſſent, virtutem extulimus. Qvorum ſi ubivis eſt copia, cur doctrinæ ſapientiæq; ergò adipiſcendæ fatigantur maria? Sanè à raritate eorum nos diffudimus, qvi à vitio ad officium tranſivimus. Nec publico ſe abſtinet, qvi Patriæ tamquam utile germen educitur: ubi enim civium ſalus agitur, ibi novitiorum inſtitutio perficitur. Igitur viris Te applica in Rep. eminentibus; procul φιλαύτοις, συκοφάνταις, ac merum fumum vendentibus. Neq; protenus omnes, qui ad clavum ſedent, inani probisq; invisâ oratione evexeris: qvos omnes aut periti æſtimant, eos duntaxat ſuſpexeris. Sed prima omnium virtutum eſt in Deum pietas: cujus individua comes vitæ integritas. Qvicquid ſecura ſibi ratio perſvadeat: qvoties ab iis deſcivimus, infortunum nobis adſcivimus.

Cultum divinum, mei liberi, ne omittite: aut ſi de religio-ne periclitandum, vitam potiùs amittite. Conſiderate, qvàm immenſus ſit amor ejus, qvi ſervavit nos; qvàm pretioſus ſangvis, qvi luſtravit nos. Qvodcunq; exinde ſuſcipitis, id juſtum eſto negotium: & ſi qvod expedit, liberale non minùs ſit otium. Illud uti me intra pomœria publicæ Rei cauſsâ multoties concluſit, ita hoc in ſilvas & prata aliqvoties intruſit. Sunt, qui fritillo, turriculâ, aliisq; ludicris ſua detergunt faſtidia: at mihi iſtiusmodi ſeceſſus graviſſima ſemper peperit tædia. Accidit hinc ſæpe, ut cùm illi hunc otii non ſinceri fomitem ſubortâ aliquâ moleſtiâ extinguerent; me nemora fonteſq; Nimfarum domicilia integriorem remitterent. Sed nunquam me luſu animum relaxaſſe, id verò contendo? minimè ego: luſi puer, & nunc cum pueris meis, id eſt, liberis, ut eos mihi conciliatos majoribus præparem, eò deſcendo. Ad qvæ verò ſtudia illa ætas præparanda ſit, non neſcit; qvi ex utilitate publicâ omnia ritè diſpeſcit. Nam & veras rerum appellationes à lingvis exigit, nec has abſq; rerum pondere eligit. Igitur ſi ob præſens commodum ἐπιχώριον idioma aut qvodvis aliud colitur; exaggeranda eorum notitia non minùs, qvibus omnium Conditor procul ſuſpectâ interpretum fide nobiſcum de ſuis myſteriis loqvitur. Turpe inter eruditos ac contemtum nomen opici: turpius, Chriſtianum ignorare vim Verbi ſalvifici. Verùm de hoc præcipuè viderint, qui plurimis in religione inſtituendis præpoſiti fuerint. Interea qvisquis ſapit, meritò ſibi vigilat, ad intelligendumq; divina orſa ſuis ſe præſidiis excitat. Hanc viam ingreſſus etiam Patriæ cauſſam tempeſtivè reſpicit, firmatoq; multâ experientiâ judicio è præteritis futura elicit. Idem rectè didicerat parere in ſe imperium obtinentibus: ut imperare poſſet ſibi olim

obtem-

obtemperantibus. Meminerat qvippe meminiſſe; qvi honos Regibus, qui amor parentibus, qvæ juxtà reverentia ſenibus, qvæ obſervantia legibus, qvæ verecundia virginibus, qvæ officia deberentur omnibus. Ab honeſti juſtiq; tramite cùm nunqvam deflecteret, id perfecit, ut fortunæ culpa videretur, cùm adverſi aliquid incideret. Tempori moribusq; hominum ex parte ſe obligavit: nam qvæ tolerari, nec de facili mutari poſſent, prudenter diſſimulavit. Choraules, Muſicorumq; vulgus ac ſtrepitum cum mimis averſatus convivantium gratiâ ſuſtinuit: ſolosq; frugi ſermones, ſvaviſſimosq; mores in aurium oculorumq; voluptate poſuit. Etſi qvamvis virtutem propria commendent munia ac dignitas; tamen illuſtriores ſemper fecit easdem & animi moderatio, & hac utentium in omnes humanitas. Etiam victus vitæ ſæpe officit: etiam amictus honeſto nonnunqvam detrahit. Illo frugali uſus ſum & parabili: hoc contentus modeſto atq; habili. Ex parvis cenſibus reditibusq; magnum conſtitui vectigal parcimoniam: nihil temere profundendo decenter alui mediocrem familiam. Vt propolarum effugerem manus, in tempore emi: numoq; cautè uſus nullam moram fœnore redemi. Qvi inutilia comparant ſervantq;, optimas ſibi occaſiones amputant: eòq; deniq; tendunt, ut cum daniſtis tranſigant. Vidi non paucos, qui jacerent delectati ſordibus: nec deerant, qui perirent exhauſti ſumtibus. Felix, qui modum in rebus agendis, qvod dicitur, tenuit; & cautionem, ſi qvà neceſſe eſſet, adhibuit. Felicior, ſi rectè cœptis conſtantiam præſtitit: & ritè promotis gratiam addidit. Laudabiles egregiiq; conatus nunqvam non habuêre æqvos arbitros: & qvod caput rei eſt, faventes Superos. In conjugiis, ut qvæ à fato ſunt, mea fata expertus qvid alios ſua celem pericula

ricula? Nec oculos in amore ſolos, nec præcones ſeqvere cortuptos, vicinorum voces auſculta & prudentum oracula. Univerſa vitæ Tuæ ratio, à commodo uxoris pendet conſortio. Si qvid erroris heic committitur; levius qvidem ferendo fit malum, ſed non tollitur. Adſpirant cælites, lætusq; rerum omnium conſpectus eſt; ubi res qvieta domi, jucundusq; convictus eſt. Adde qvòd teneram prolem monitis exemploq; ſinceriùs inſtruunt, qvi in colendâ virtute conſentiunt. De Momis ex ſupradictis facilè conjicis? habui: habuerunt meliores, & clari Philoſophi & Reges ardui. Qvi propriâ fretus conſcientiâ vix fori nititur teſtimonio, nec aliorum magnopere deprimitur vituperio. Sannas maledicorum ac ſcommata nivem eſſe ſapiens duxit: Sole veritatis oborto cùm colliqveſcere crederes, jam diffluxit. Etiam triumfare deſideras calumniam? materiem invidendi objice: vinces, franges, obteres ſibilum hoc os non alio vindice. Certè invidiæ bona carminibus meis vulgavi ad liberos: & celebrabuntur ea apud omnes poſteros. O nimis ſecuræ mentes, qvi mala veſtra non intelligitis! nimis delicatæ, qvi adverſus ea tantùm ingemiſcitis! Semper laceſſita eſt probitas à malignitate: ſemper depugnatum eſt animi firmitate.

Ita Muſis ſuis adſcripſit, generi ſuo in exemplum præſcripſit, ſuâ deniq; manu ſubſcripſit

Frid. Zam.

Idem ad liberos dilectiss.

QVæ datur à Superis, traducite pignora vitam,
Vt mutent aliquid secula, more probo.
Vna Boni ratio est: ac tunc discordia cœpit,
Spreverunt mores cùm mala corda bonos.
Fontibus è liqvidis virtutum ducite rivos,
Præmiaq; ultra opicas sumite Vestra manûs.

Ad Titinnium amicum.

MItto tibi niveos, obscura calumnia, plausûs:
Mitto tibi festos cum Ganymede dies.
Me morbi excruciant, mens est non ægra dolentis.
Et lecto acccdunt vix duo corda meo.
Hoc satis esse puto. Vos lingvæ exeste profanæ,
Turbaq; Pieriis non operata sacris.
Vulgus iners estis, qvi nil prodesse valetis.
Alternam Phœbi mens mea poscit opem.
Nam qvò visentum numerus, vocesq; molestæ?
Qvorsum stridentes increpuére fores?
Optent felices: sit in hoc sua gloria facto:
At mihi cum miseris digna sed esto qvies.
Pone rudem Catharina salem: Te care Titinni
Demoror, ô genii proxima cura mei.
Odisti mensas vario nidore calentes,
Et populatrici prandia facta gulæ.
Ac memini, qvoties roseis aurora qvadrigis
Prodiit, ad Clarias qvòd rueremus aqvas.
Noxq; oleo impensa est. Sprevit mea noctua somnos:
Et sunt in feles nota cavilla Tuas.

Vt vidit, cujus vestigia pressimus; heus Tu,
Tuq; inqvit, posthac dux Tibi Phœbus erit.
Discessum in parte est: ego parvo Epigrammate lusi,
Impia Orestéæ Te referente manûs.
Hoc totum est, in qvo nostri regnatis amores.
Da fruar hac tecum, dum super aura, dapes.
Si nos curarum major disjunxerit æstus,
Fungetur solidam litera missa vicem.
Ecce ego Te coram qverulos sepono dolores.
Audiit hæc Phœbus cum Iove, langvor abit.

Ad liberos.

CRedite vos pueri: tenuis mihi profuit humor;
Parciùs affusâ stat mea laurus aqvâ.
Sic fovi, ut plenis cùm se committeret auris,
Qvolibet augmentum posset ab imbre dari.
Et cœlo educta est, & se virtute tuetur,
Fautores ex hoc robore nacta deos.
Nec veniat generis fiducia tanta parenti?
Successus illam non habuêre mei.
Dux deerat, qvalem vobis natura ministrat,
Tutius est, patris tendere posse manu.
Nec caussa est fundi nostro deserta Poëtæ.
Lætor, & invidiæ non caruisse flagris.
Ludite Musarum tumulis, ut in æqvore pingvi
Luxuriet qvovis judice Vestra seges.